



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 4. Nicolai V. Constitutiones super abdicatione Felicis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. durante hujusmodi divisione indebite perceperunt, etiam si nobis, & cameræ nostræ debiti essent, penitus ipsis remittimus. Declarat dignitates, beneficia, & officia ecclesiastica ab eorum possessores spectare & pertinere, proin omnes collationes, provisiones, postulationes, electiones &c, tam per ipsum Nicolaum Papam quintum in sua obedientia nuncupatum, quam per Felicem factas, necnon dispensationes, absolutiones, rehabilitationes, indulgentiarum ac privilegiorum, & quascunque alias concessionis, omniaque vel ab Eugenio vel Nicolao V. tam per ipsos, quam suos legatos qualitercunque facta, gesta, concessa, data, indulta, disposita, & ordinata ratificat, atque confirmat. Item de Personis Patriarcharum Episcoporum, & Abbatum, ac quorumcunque beneficiorum possessoribus de novo providet, statuitque quod ipsi in suarum Ecclesiarum possessionibus remaneant quieti, ac omnes sententias promulgatas, & quæcunque inde secuta contra præmissa, aut in præjudicium possessorum attentata ex nunc prout ex tunc haberi vult pro infectis, atque revocatis. Denique utriusque obedientiæ Cardinalibus suas dignitates salvas conservari decernit.

§. IV.

Nicolai V. Constitutiones super abdicatione Felicis.

Ubi vero compertum est, Felicem Pontificatu

tificatu cessisse, ac deinceps nonnisi Sæcul. XV. A. C. 1449.
 uni soli Papæ pro legitimo Christi Vica-
 rio ubique recognito obedientiam præ-
 standam, universus Christianus orbis
 communi, tantaque lætitia exultabat,
 ut per omnia urbis compita festivi cla-
 mores: *Vivat Papa Nicolaus!* insona- Labbe Conc. tom. 13. p. 1343.
 rent. Ipse quoque Nicolaus, ut debitas
 Deo pro tanto beneficio rependeret gra-
 tias, solemnem supplicationem a Basilica
 S. Petri instructam celebravit, idemque
 a reliquis Italiæ populis factum. Nec
 his contentus, datis ad Galliarum Re-
 gem literis strenue navatam in extinquen-
 do schismate operam commendavit,
 omnesque Christi Fideles publicatis hanc
 in rem tribus Constitutionibus, quas
 Franciæ Legati Amadæo promiserant,
 de tam felici nuntio certiores reddere vo-
 luit. In secunda, quæ ceteris prolixior
 est, die decima octava Junii Spoleti data
 hunc in modum loquitur: *Jam divina
 favente, ac dirigente clementia, tractatu
 Oratorum carissimorum in Christo Filiorum,
 Francorum, Anglicæ, & Renati Siciliæ,
 Regum, necnon Delphini Viennensis primo-
 geniti Francorum Regis, pacem Ecclesiæ red-
 ditam agnoscimus; dum percipimus, venera-
 bilem & carissimum Fratrem nostrum Ama-
 dæum primum Cardinalem Episcopum Sa-
 binensem in nonnullis Provinciis Apostolicæ
 Sedis Legatum, vicariumque perpetuum,*
Feli-

Sæcul. XV. *Felicem Papam V. tunc in sua obedientia nominatum, juri, quod in Papatu asserebat se habere, ad pacem Ecclesiæ obtinendam cessisse. Eos vero, qui Basileæ, postmodum Lausancæ sub nomine generalis Concilii hætenus permanserunt, ordinasse, ac publicasse, nobis tanquam unico & indubitato summo Pontifici obediendum esse a cunctis fidelibus, & præfatam Lausanensem dissoluisse congregationem.*

*Idem ibid.
p. 1347.*

Cupientes igitur, prosequitur Pontifex, quantum Omnipotens donaverit, id agere, quo universi Christi Fideles ipsius pacis jucunditate fruenter, animorum conjunctione sibi invicem cohæreant, cunctas promotiones, electiones, confirmationes, provisiones, & alias quascunque dispositiones quarumcunque Ecclesiarum ac beneficiorum &c. Consecrationes, benedictiones, absolutiones, dispensationes, bonorum ac jurium, & subventionum Sedis Apostolicæ administrationes &c. omnia & singula tam justitiam, quam gratiam concernentia, sive in foro contentioso, aut conscientie &c. in personis, & locis, quæ tempore concessionis obediabant Felici, aut congregatis Basileæ, & Lausancæ, itemque omnia & singula per ordinarios in dictis locis eorundem auctoritate facta, pro bono pacis & unionis Ecclesiæ, de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de consilio, & assensu S. R. E. Cardinalium approbamus, confirmamus, rataque, & firma

ma haberi volumus. Prima vero Con-
 stitutione pristinis juribus restituit omnes
 cujuscunque dignitatis, ordinis, & con-
 ditionis Personas, quæ per literas Eu-
 genii beneficiis, & jurisdictionibus pri-
 vatæ fuerant, eoquod Felici, & Basile-
 ensi Concilio adhæssissent. Tertia demum,
 literas, processus &c. contra eos, qui sub
 nomine generalis Concilii tam in Basileensi
 quam Lausanensi civitatibus perseverarunt,
 necnon contra Amadæum Felicem V. nun-
 cupatum, eisdemque adhærentes emanata,
 facta, decreta & promulgata nullum effe-
 ctum penitus sortiri declarat, eaque omnia
 & singula in registis ipsius Eugenii aboleri
 & deleri mandat, ac pro infectis haberi
 vult. Ita tandem penitus extinctum est
 Schisma, & Nicolaus ab omnibus Chri-
 sti Fidelibus tanquam unicus, verusque
 Pontifex coli coepit.

§. V.

Cardinales Felicis a Nicolao recepti.

Cardinalis quoque Arelatensis, quem
 Eugenius deposuit, plene ac integre
 in gratiam summi Pontificis Nicolai rediit,
 atque ad communionem Ecclesiæ rece-
 ptus, dignitatem suam, ut antea, con-
 servavit; quinimo a Pontifice ad inferio-
 rem Germaniam Legatus decernebatur;
 inde vero redux Dioecesin suam repetiit,
 ut